animus, quis sensus, quae denique existimatio de iuuenum atq adolescentum
institutione, atq ad celebres aliquas et illustres scholas missione facilius
cognosci possit. Hoc ego cum viderem cogitaremque quis fructus ex hac
institutione in commodum et utilitatem non tantum patriae verum etiam totius
reipublicae Christianae promanare possit, constitui hodierna luce
Auditores ornatissimi hanc mihi ad dicendum materiam sumere, ut nobilis-
simam florentis iuuentutis institutionem atq ad celebres academias missionem
pro ingenii mei exiguitate, et quantum id quidem in me situm erit ab
ineptis hominum atq paucorum expertium insolentia vindicare, et vero
quid convenientius aut melius facere possum, quam si institutionem hanc
adolescentum quantum non ornamenti solum, verum etiam praesidii toti
reipublicae Christianae afferat rationibus exhibitis exponam. Sed ante-
quam ipsam orationis seriem explicaturus aggrediar, peto a vobis audi-
toribus humanissimis, ut mihi res pulcherrimas brevi oratione comprehen-
dere cogitanti exigui temporis attentionem ne denegetis.

Quoniam igitur primam ac potissimam curam morum ac vitae recte beneq
instituendae quidam mortalium habendam esse arbitrentur, hoc illis equidem
concedo, attamen non ignoro neq me latet si virtutis expertibus di-
cendi copia tradatur, eis quidem quasi furentibus arma offerantur